



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

5 Consecrans Ecclesiam indotatam de suo proprio in defectum fundatoris  
dotare tenetur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

cuncta, quæ præcepi tibi, tabernaculum  
 fœderis, & arcam testimonij, & propitia-  
 torium, quod super eam est, & cuncta vasa  
 tabernaculi, mensamque, & vasa ejus, can-  
 delabrum purissimum cum vasis suis &  
 altare thymiamatis, & holocausti, & om-  
 nia vasa eorum, labium cum basi sua, ve-  
 stes sanctas in ministerio Aaron sacerdoti,  
 & filijs ejus, ut fungantur officio suo in  
 sacris oleum unctiois, & thymiamata aro-  
 matum in sanctuario, omnia, quæ præce-  
 pit tibi faciant, Exod. c. 32. & Levit. cap. 8.  
*vers. vultus & unctiois, & d. cap. consecrat.*  
*dist. 1.* Quæ autem in consecratione eccle-  
 siarum ab Ecclesia ordinata sunt, idest, vel  
 à conciliis Papæ auctoritate congregatis,  
 ac si à Christo sint ordinata, accipi debent,  
 Turrecrem. in c. omnes basilica, n. 4. de con-  
 secr. dist. 1. cum ea, quæ per Ecclesiam sta-  
 tuitur, ab ipso Christo ordinantur. Matth.  
 cap. 18. ubi cunque fuerint duo, vel tres in  
 nomine meo, in medio eorum sum, &  
 Graff. decis. aur. d. c. 15, n. 6. par. 2. lib. 2. Li-  
 cet olim consecratio fieri non posset sine  
 mandato Papæ, cap. de locorum, cap. præ-  
 cepta, cap. Basilicas, & cap. Ecclesia, de  
 consecr. ead. dist. 1. fuit ius antiquum refor-  
 matum, seu potius Episcopis auctoritas  
 consecrandi à Papa generaliter communi-  
 cata, & ex singulari delegatione facta est  
 4 ordinaria potestas † Et hodie ab Epi-  
 scopis possunt ecclesiæ consecrari, cap. 2. 5  
 & ibi glos. fin. & Abb. de consecr. eccles. vel  
 alt. nec sine Episcopi licentia potest ec-  
 clesia edificari, cap. nemo, ead. dist. 1. & cap.  
 quidam 18. q. 2.

Consecrantur ecclesiæ quolibet die,  
 tam feriato, quàm festo, d. cap. 2. & ibi  
 glos. de consecr. eccles. vel alt. quæ singu-  
 lis annis solemniter sunt celebrandæ, cap.

solemnitates dedicationem, & cap. solem-  
 nitates ecclesiarum, ead. dist. 1.

Secundo, quando dubitatur, an fuerit  
 consecrata, quia non apparet in aliqua scri-  
 ptura, vel libro Ecclesiæ, aut columna, vel  
 tabula marmorea, de cap. solemnitates de-  
 dicationum, & cap. ecclesia ead. d. 1. & In-  
 nocent. in rubrica de consecr. eccles. vel  
 alt. n. 1. & ad probanda consecrat, suffice-  
 ret unicus testis de visu, cum nullum aliis  
 præiudicium inferatur, ut ibi Innoc. d. n. 1.

Tertio, si ecclesia sit exusta, ita quod sit  
 decrustata in totum, vel pro majori parte,  
 cap. ecclesis, & ibi glos. in vers. exusta, ead.  
 dist. 1. & Innoc. eod. num. 1. vers. secundus si  
 sit exusta.

Quarto, si funditus sit diruta, & ex toto  
 reparata de eisdem, sive de aliis lapidibus,  
 cap. de fabrica eadem dist. 1. & est ratio,  
 quia consecratio ecclesiæ maxime confi-  
 sit in unctioe exteriori, & conjunctione,  
 & dispositione lapidum cap. ecclesias ea-  
 dem dist. & Innoc. eod. nu. 1. vers. tertius est,  
 licet videatur ultimo casu sufficere recon-  
 ciliationem cap. si mortuum ead. dist. & In-  
 nocent. ubi supra ante num. 2.

Quinto, quando constat de solemnita-  
 tibus requisitis in consecratione, sed pro-  
 babiliter dubitari potest, an Episcopus fue-  
 rit consecratus, cap. presbyteri, 68. dist. &  
 Graff. decis. aur. d. c. 15. nu. 14. in fine.

Ecclesia † non est consecranda, nisi si pri-  
 us competens dos fuerit ei assignata, c. pla-  
 cuit, 1. qu. 2. c. piamentis, 16. qu. 7. cap. cum  
 sicut, & ibi glos. de consecr. eccles. vel alt.  
 & si Episcopus consecrat ecclesiam indo-  
 tatam, illam sine læsione suæ ecclesiæ, si  
 hoc facere potest, aliàs de suo proprio in  
 defectum fundatoris dotare tenetur, glos.  
 in d. c. cum sicut, vers. sed quid si Episco-  
 pus,

¶ *ibi Abbas n. 2, & 3. & gloss. in cap. nemo, 1, in ver. domum de consecr. d. 1.* Dos verò competens juxta qualitatem ecclesiæ esse debet, quia pro monasterio tanta esse debet, qua presbyteri, diaconi, subdiaconi, cantores, & lectores ibi ali possint, *authentica ut deter. sit in cler. §. investigantes, colum. 1. & ibi Bart. n. 1.* si verò ecclesiæ sit collegiata, dos ad minus debet esse pro duobus, & quòd possint recipi hospites, & episcopalia jura persolvi, *c. 2, de supl. negl. Pral. cap. de Monachis, de preb. & gloss. in eod. c. cum sicur, & si parochialis, pro parochi sustentatione debet regulariter dos esse centum ducatorum, ex dispositione sacri Conc. Trid. c. 13. §. ad hæc. sess. 24. de ref.* putò tamen, qualitatem locorum esse attendendam, & ubi communitatum vires non suppetunt, sufficere dotem scutorum quinquaginta vicariis perpetuis assignatam, ut in extravag. Pii V. ad exequendum in Bull. cap. 46.

6 Ecclesiæ † pluribus etiam casibus reconciliantur.

Primò, si alicui mors violenta in ecclesiâ inferatur, aut injuriosè humanus sanguis effundatur, *cap. ecclesiâ, 68, dist. cap. proposuisti, de consecr. eccl. vel alt.* & non sufficit aliquarum guttarum sanguinis emissio, quia jura requirunt effusionem, quæ largitatem denotat, *cap. revertimini, 16, q. 1. gloss. in cap. cum illorum, in verb. effusionem, & ibi Felin. nu. 13. de sent. excom. Abbas in cap. proposuisti, num. 3, de consecr. eccl. vel alt. & Navar. cap. 27, num. 256. tom. 3.* Si quis autè extra ecclesiâ fuisset vulneratus, & in illa sanguinem effudisset, nò esset ecclesiâ reconcilianda, arg. *tex. in l. huic scriptura. ff. ad leg. aquil.* ubi dicitur, quòd, si quis vulnerat servum alterius, & ille postea pe-

reat ruina, vel alio casu, non imputatur ei mors, sed vulnus tantum, ita non imputatur, quod extra ecclesiâ contingit, quia hîc non est facta ecclesiæ injuria, vel irreverentia, *Abb. antiq. in cap. si Ecclesiâ, nu. 4. de consecr. eccl. & Navar. d. num. 256. vers. dixi, aut datur.* Vulnere verò in ecclesiâ illato, licèt percussus antè egrediatur, quàm sanguis in illam effundatur, etiam quòd reciperetur in aliquo vase, ne in eam decideret, eccl. diceretur polluta, & requireretur reconciliatio, ut per Nav. *eo. ver. dixi.*

Secundò, si semen humanum voluntariè in ecclesiâ effundatur, *cap. unico, & ibi glo. in ver. humanum, de consecr. eccl. in 6.* quòd procedit etiam, si vir cognoscat uxorem, quicquid aliqui contrarium teneant, quia multa licita ex loco fiunt illicita, *cap. accusatio, 2, q. 7, cap. 1. de immunit. eccl. gloss. in d. ver. seminis, Jo. de Sel. in tractat. de benef. in 5, quaest. ubi dicit, ita tenendum, colum. 49. & Navar. d. c. 27. nu. 257.*

Tertiò, si in ecclesiâ aliquis excommunicatus sepeliatur, *cap. consuluisti, & ibi Abb. antiq. de consecr. eccl. vel alt.* quòd intellige de excommunicatis impœnitentibus, secus de excommunicatis pœnitentibus, sed, qui morte præventi, absolvi non potuerunt, arg. à contrario sensu, *cap. is cui, §. talis quoque, de sent. excommun. in 6. & Graff. decis. aur. d. cap. 14. num. 19.*

Quartò, si cadavera mortuorum infidelium in ecclesiâ sepeliantur, & tunc illis evulsis, & etiam parietibus dealbatis, est reconcilianda, *cap. ecclesiâ, in qua mortuorum, de consecr. eadem dist. 1. & Navar. eod. num. 257. versic. quartus est.*

Quin-